

Capitanei utriusque Kemlek, et Benedicti filii Georgii de Presechnafew, Comitum Terrestrium maioris Kemlek, quintam siquidem condam Hans Apprahar ac eiusdem Benedicti filii Georgii de Presechnafew, sextam denique quondam Georgii Pyers et eiusdem Benedicti filii Georgii, septimam vero eiusdem quondam Georgii Pyers et Pauli filii Mykchez de Czirkvena, Octavam denique et ultimam quondam Georgii filii Stephani de Globoczez, similiter Capitaneorum et Comitum terrestrium de maiori Kemlek, omnes privilegialiter confectas, Nostrum Judicarium produxit in conspectum. Quarum prima, videlicet praefati quondam Domini Sigismundi Regis Littera privilegialis, sub dupplici et Authentico Sigillo eiusdem per manus Reverendi in Christo Patris Domini Eberhardi Episcopi Zagrabiensis Aulae suae summi Cancellarii fidelis dilecti Anno Domini 1415 Kalendas Augusti, Regni autem sui Anno 17 emanata, habens in se confirmative tenorem quarundam duarum Litterarum, unius scilicet olim Serenissimae Principis Dominae Elisabethae Reginae Matris suae Charissimae, ipsius dupplici Authentico impendenti Sigillo privilegialiter tenores quarundam Litterarum quondam Stephani totius Croatiae et Sclavoniae Bani, quandam praerogativam Nobilium Jobbagyonum praescripti Castri explicantis, in se confirmative continentes, ac aliam suam, suo secreto Sigillo patenter consignatas, transcribentes verbaliter continentiam quarundam Litterarum Magnifici viri quondam Eustachij dicti Regni Sclavoniae Bani, super libertatibus annotatorum Nobilium dicti Castri sui Jobbagyonum in eisdem expressis confectarum. Quarum prima videlicet dictae Dominae Elisabethae Hungariae et Bohemiae Reginae privilegialis, Crisii per manus Reverendi in Christo Patris Domini Valentini &c. Aulae suae summi Cancellarii, duodecimo die mensis Junii Anno Domini Millesimo Trecentesimo Octuagesimo quinto edita, habens in se confirmative tenorem quarundam Litterarum quondam Stephani Sclavoniae et totius Croatiae Bani, septimo die Congregationis suae generalis, in profesto Beati Martini Confessoris Zagrabiae celebratae, Anno Domini 1352 editarum, Nos serie informabat: Quod praefatus condam Stephanus Banus in dicta Congregatione sua generali Universis Nobilibus et aliis cuiusvis conditionis, praeeminentiae et status hominibus, in Regno Sclavoniae existentibus, publica proclamatione facta, feria secunda proxima post festum Beati Martini Confessoris Zagrabiae celebrata, a duodecim Juratis Judicibus Nobilium et Universis Nobilibus praemissae suae Congregationi adhaerentibus fecisset manifeste: Quod Nobiles Jobbagyones Castri Nagy Kemlek ad iuramenta et testimonia tam in factis possessionariis, quam aliis quibuslibet deposita et producta, ad Numerum Nobilium Regni semper computati et assumpti exstitissent, et ob hoc iidem Nobiles Jobbagyones Castri Nagy Kemlek, ne huiusmodi eorum libertati in futurum per quempiam aequaliter possit derogari, Litteras ipsius precum cum instantia ab ipso quondam Stephano Bano ipsis dari petivissent; Ipse igitur quondam Stephanus Banus volens eosdem Nobiles Jobbagyones Castri Nagy Kemlek in praemissa eorum Nobilitate conservare, eisdem annuisset, ut ipsi Nobiles Jobbagyones Castri Nagy Kemlek ad iuramenta et testimonia tam in factis possessionariis, quam aliis quibuslibet deponenda et producenda ad Numerum Nobilium Regni computarentur et assumerentur absque derogamine aliquali. Altera vero earum, videlicet dicti quondam Domini Sigismundi Regis, secreto sigillo suo in Dyaco, octavo die festi Beati Petri et Pauli Apostolorum Anno Domini 1394 emanata, habens in se transumptive tenorem quarundam Litterarum